

182



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

~~B. 72.~~

Hh. 62.

Leges Gymnasii Gallii Berolii.


Henningsii Oratio Paneg. Inaugur
Fr. H. El. Brand. dicta.

Vendicix Nominis Germanici ga quosd.
obrectatores Gallos, s. Epist.
I. F. C. ad F. B. Carpzov.

Laudii Oratio ad Studiosos Leidens
ob cedē comilitoni. tumultuante.

Inferum. Lacis Casareo-Ottomanūibgg.

Larre de Scriptoribus Rerum Bran-
dent - March.



PANEGYRICUS

*Serenissimo ac Potentissimo Prin-
cipi & Domino,*

DOMINO

FRIDERICO TERTIO,

MARGGRAVIO BRANDEBURGICO,

S. R. I. ARCHICAMERARIO

ET ELECTORI,

ETCCC.

CONSECRATUS:

Quem

Coram omnium Ordinum celeberrima concione
in Electorali BRANDEBURGICA, quæ TEU-
TOBURGI CLIVIORUM floret, Academia

publice dicebat

HENR. CHRISTIANUS HENNINIUS;
Medicinæ Doctor,

Cum ibidem Historiarum, Eloquentiæ & Græ-
cæ Linguae Ordinarius Professor

*A. D. xi. Kal. April. anni Gregoriani secundum
vulgarem Epocham clc lcc xc.*

solenni ritu

INAUGURARETUR.



DUISBURGI ad RHENUM,
Typis FRANCONIS SAS, Acad. Typogr.

INFORMARIBUS NUNQUAM
FRIDERICUS
FRIDERICUS
D. MAGISTRI
GEORGIUS
FRIDERICUS
MAGISTRI
MAGISTRI
ET ELECTORIS
S. R. I. ELECTORIS
ELECTORIS
CONSTITUTUS
SUPREMO IN RUSSIA DUCI
Commissarius
in
MAGISTRI
MONTIUM
ELECTORIS
HENRICH
MAGISTRI
DUCI
MAGISTRI
MAGISTRI
MAGISTRI
COMITIS
RAVENNATENSIS
DUCI
The



INCOMPARABILI. HEROI.
FRIDERICO. TERTIO.
FRIDERICI. GUILIELMI.
MAGNI. F.

GEORGII. GUILIELMI.
PACIFICI. N.

DEI. O. M. MUNERE.

MARGGRAVIO. BRANDEBURGICO.
S. R. I. ARCHICAMERARIO.
ET. ELECTORI.

SUPREMO. IN. BORUSSIA. DUCI.
UT. ET.

MAGDEBURGI. CLIVIAE. JULIAE.
MONTIUM. STETINI. POMERANIAE.
CASSUBIORUM. VANDALORUM.
AC. IN. SILESIA. CROSENAE.
ET. SVIBUSII.
DUCI.

NORIBERGENSEI. BURGGRAVIO.
HALBERSTADII. MINDAE. ET. CAMINI.
PRINCIPI.

HOHENZOLLERII. MARCAE.
RAVENSBERGI. QUE.
COMITI.

RAVENSTEINI. LEOBURGI. BUTOVII.
DOMINO.
ETCCC.

PRINCIPI. SERENISSIMO.
POTENTISSIMO. OPTIMO.
DOMINO. CLEMENTISSIMO.

P. F. F. AUG. P. P.

GERMANIAE. RESTITUTORI.
FUNDATORI. PUBLICAE. QUIETIS.

EUROPAE. DELICIO.

SALUTEM. PERENNEM.

VICTORIAS. LAETAS.

TRIUMPHOS. AUGUSTOS.

FELICITATEM. PERPETUAM.

HAC. PANEGYRICA.


DEVOTISSIMAE. OBSERVANTIAE. SUB
JECTIONIS. QUE. NEC. NON.
GRATISSIMI. ANIMI.

TESSERA.

D. N. M. Q. E.

V O V E T.

HENRICUS. CHRISTIANUS. HENNINIUS.



Magnifice Illustris hujus Academiæ
Rektor; Nobilissime ac Spectatissime Domine
Curator; Doctissimi ac Celeberrimi omnium
Scientiarum Professores, Collegæ conjunctissi-
mi & plurimum honorandi; Tum & Vos va-
ria Dignitate, Ordine, Eruditione, Litera-
rum divinarum humanarumve præcipue amo-
re, conspicui, & mihi publice privatimque co-
lendi Auditores: Tu denique spes Ecclesiæ,
spes Reipublicæ, generosa & nobilissima Stu-
diosæ Juventutis corona, quæ in Patriæ quis-
que suæ spem felicissime efflorescis, Parentum
gaudia, Doctorum amores, meæ delicia!



Erunt eloquentissimos
 & Principes in utraque
 lingua olim Oratores a-
 liquando, cum publi-
 ce dicere vellent, alte-
 rum ingenti exorsum
 titubatione vix tandem
 sui factum esse compotem; alterum etiam
 non solum hæsisse, nec verbum potuisse
 ullum ultra proloqui; Verum & non se-
A 3
mel

mel capite obvoluto, & deserto, quod
 instituerat, incepto, pavidum trementem-
 que domum refugisse. Hæc cum ego me-
 cum reputo, qui ad Vos Auditores o-
 mnium ordinum, graduum & dignitatis
 Spectatissimos, verba facturus hunc in lo-
 cum me contuli, non possum non vehe-
 menter percelli. Quod si enim tanti O-
 ratores, longo dicendi usu exercitatissimi,
 & quorum in labris dexterrima inerrabat
 facundia, ut non solum frequentia con-
 spectum sustinere, sed etiam admirabili
 quadam vi eloquentia quoscunque mo-
 tus animi tenerent in potestate, & sus-
 pensas Auditorum aures, quocunque
 vellent, possent non reluctaturas trahe-
 re; quid mihi creditis animi fore, ho-
 mini, neque ab eloquentia, neque ab in-
 genio, neque ab eruditione satis instru-
 cto, atque ex insperato in hanc Virorum
 Clarissimorum frequentiam, & illustris A-
 cademiae lucem ex umbratico vitæ gene-
 re, in quo ignotus latebat, traducto? Et-
 si enim diffiteri nequeam, nonnullo di-
 scendi ardore effectum fuisse, ut cordati
 quidam Viri nos in hominum non absur-
 dorum numerum cœperint referre, imo
 etiam aliquam spei fiduciam conceperint,
 talem fore aliquando, qualem non per-
 functoria

functoria promitteret diligentia ; mirum tamen videri non debet , si pudor noster & frontis teneritudo , in tam frequenti tot præclarissimorum & omnis ordinis hominum Concione , turbetur. Sive enim frequentiore , quam exspectaram , respicio vestrum confluxum ; Sane is magnificum aliquid , quodque delicatas aures morari possit , efflagitare videtur ; quale profecto si mea infantia vobis promitteret , ineptus jure merito & insolens Suffenus censeret : Sive considero elimatum & elegans iudicium tot Virorum , qui in præclaris Studiis haud tralatitia cum dexteritate sunt versatissimi , eoque nomine per orbem eruditum celeberrimi ; Vereor utique , ne partam qualicunque assiduitate existimationem in periculosam unius horulæ aleam adducam : Sive hunc ipsum in locum , e quo me dicentem auditis , oculos conjicio , is ipse tantum non filere me jubet. Personuit namque olim facundia illius , qui totius politioris humanitatis suspiciendus quasi Pater , primus benigne & benevole , quod inter laudes meas pono , suis consiliis mihi adolescenti , in *Ultrajectina* apud Belgas Academia & immortalitatis officina celeberrima , viam monstravit , qua iretur ad solidam Eru-

ditionem; personuit, inquam, facundia Summi GRAEVII, Viri per totum, qua patet, orbem eruditum suis meritis clarissimi, atque ad excelsum illustris & castissimæ Eloquentiæ fastigium, præclaro Literatorum omnium consensu, provecti: Personuit non ita pridem hic locus facundia eruditissimi TOLLII, qui beatam illam Priscorum Eloquentiam in succum & sanguinem vertit: Desiderare denique videtur hæc ipsa statio castigatam illam, & elegantissimam facundiam Viri Clarissimi & nobis amicissimi CRAMERI, cujus inusitata & rarissima hoc sæculo fides & sanctissime exulta mecum amicitia æternum me illi debitorem reddit. Tot tantisque Viris & rei publicæ Literariæ Luminibus ego obscurus & minime cum illis conferendus, cum in ornanda Elegantiarum Literarum Sparta succedo, non possum non mirifice perturbari. Licet enim nonnullam ætatis meæ ineuntis & adultæ partem illis studiis impenderit, quæ ab Humanitate gloriosum cognomen sunt adeptæ, illud ipsum tamen tempus Fortunæ injuriis, & furialium bellorum vicissitudinibus ita fuit interpolatum, ut sæpe animo non ita defæcato, nec usque adeo sereno ad Bonas accesserim Literas.

Videtis

Videtis igitur, ut puto, quam non passibus æquis Clarissimorum meorum vestigia decessorum potero in dicendo sequi, & aures vestræ adsuetæ dictioni delibatæ forte abhorrebunt ab impolitia nostræ orationis. Huc accedit, quod illud ipsum temporis intervallum, ex quo huic Spartæ ornandæ sum arcessitus, concatenatis curis & occupationibus fuerit distinctum; & si verum sine invidia aut jactantia profiteri licet, vix superfuit tempus ea nonnihil expoliendi, quæ eram meditat-
 tus: Sed malui impolitæ dictionis, quam longiori mora aut ingrati animi, aut neglecti officii notam sustinere. Dabitur ergo pro humanitate vestra pudori meo veniam, si non respondero vestræ expectationi, quem tot vera & simul necessaria pæne obruerunt bene dicendi impedimenta. Dicam alias exactius & diligentius; sed hoc inaugurali tempore suffecerit mihi initiorum sacra facere mola & farre, daturus hostias & thura, ubi animus & liberior & in hac statione nonnihil confirmatus potuerit respirare. Solent vero Auditores omnium ordinum, variæ dignitatis omnisque loci dignissimi, plerique, qui munus aliquod auspiciantur, ejus rei, in qua sunt versaturi,

turi, laudes magnificentissime decantare; alii etiam quandoque non abhorrentem ab instituto suo, quod profitebuntur, declamationem præmittunt: at ego mihi persuasi, me haud melius hoc temporis auspicalis spatium posse decurrere, quam si neque nimium abludens a meo munere, neque nimis triviale mihi sumerem dicendi argumentum. Cum enim Serenissimus ille Hercules Musagetes, Potentissimus S. R. I. OCTOVIR BRANDENBURGICUS, Dominus meus Clementissimus, me immerentem voluerit tam illustri honore in hac Academia auctum, quid aliud grati animi rationes exigebant, quam ut publice munificentiam & benignitatem Optimi Principis prædicarem? quamvis enim gratiam referre tantam non possum, quantam debeo, habenda tamen erit, quantam maximam animus noster capere potest; ut eo ipso, quod habeam, referre aliquam videar. Dicam itaque, ut potero, Maximi Principis meritissimas laudes, imitaborque pictores, qui cum in exigua tabella ingentem aliquam rerum multitudinem exprimere conantur, rerumque amplitudinem coloribus exæquare non possunt, nonnulla e propinquo, alia e longinquo, hæc
stricturis

Stricturis lineisque paucissimis designant,
 illa summatim adumbrant, quædam etiam
 plane spectantium oculis subducunt, &
 plurima significant potius, quam osten-
 dunt. Veniam huic audaciæ & nostræ
 infantia dabit argumenti pietas. Licet au-
 tem in eo elaborando nimium sibi sume-
 re, arrogans sit fiducia; facile tamen me-
 cum videtis, Auditores non fore opus ora-
 tione diu mediata, & quæ sua sterilitate
 ungues sapiat arrosos: Tot enim & tan-
 tæ sunt Incomparabilis nostri Principis
 Virtutes, ut cum plurimas dixeris, plures
 sint superfuturæ, & materiæ copia foecun-
 dissimo etiam ingenio abundatura, tum
 etiam Virtutum ille in excelso atque illu-
 stri loco positarum splendor orationi meæ
 lumen, quo per se caruisset, est allatu-
 rus. neque tamen hic opus fore video di-
 ctione diligentius & studiose compta, non
 calamistris inusta, non cincinnis fracta,
 non phalerata, non mellitis verborum
 globulis, dictisque papavere ac sesamo spar-
 sis; sed simplici, plano & ingenuo di-
 cendi genere, cum dicturus sim de eo
 Principe, qui in omnibus rebus sui simi-
 lis eundem, id est, optimum semper fer-
 varit vitæ tenorem, & in quo nihil sit
 fictum, nihil simulatum: quare omnibus,
 quæ

quæ a me dicentur, fides & veritas constabit; tantumque a specie adulatoriæ nugacitatis aberit hæc grati animi mei testificatio, quantum ipsa oratio accedit ad officii necessitatem. Sed enim cum pulcre sciam, Alexandrum Magnum a solo Apelle suo coloribus pingi, a solo Lysippo ære fingi voluisse, cum norim Augusto solam, qua sculperetur, Dioscoridis artem placuisse; ad Te me converto, **SERENISSIME ELECTOR**, Magnorum Regum & Principum Sanguis, maximorum decus, uti permittas devotissimo Tuæ Majestatis cultori, ut ad aram Clementiæ Tuæ puri salis mira facere liceat. Dent, **INDULGENTISSIME PRINCEPS**, Sabæi thura, Seres preciosa sui vermis stamina, Arabes aromata, Tyrîi purpuram, Americani aurum, Indi gemmas; ego literarum candidatus, admirator, cultor, omnia mea studia & animum ad æternitatem Tuæ Majestatis obstrictum devotissimo cultu dico, consecro, addico. Quod si enim ex Veterum sententia Diis etiam lacte licet litare, cum thura defunt, nec ullum obsequii & piæ venerationis cultum repudiant Numina; ita credere fas est, nec illos Deos terrarum Dominos
averfari

aversari piæ voluntatis affectum, si vires
 majora præstandi defuerint. Accedamus er-
 go bonis ominibus ad pia sacra, vos Audito-
 res Humanissimi linguis animisque favete!

Magnum est nasci magnis, ac trium-
 phales ostentare majores, quæ majorum
 Gloria nescio quos in generoso pectore
 Virtutis igniculos accendit. Si in brutis
 animantibus, in plantis atque arboribus
 ita comparatum natura videmus, ut ea
 plerunque ortus sui vim bonitatemque re-
 ferant; quanto id magis consentaneum est
 usu venire hominibus, quibus & natura
 & disciplina datum est, ut majorum suo-
 rum imagines agnoscere, eorumque præ-
 clare facta sibi ad imitandum possint pro-
 ponere? Pulcerrime hoc noverunt Ro-
 mani, mortalium sapientissimi, a quibus
 plurima ad nos & pulcerrima vitæ insti-
 tuta manarunt, qui huic fini Imaginum
 jus præclaris & bene meritis de Rep. ci-
 vibus concesserunt, ut vestigiis Majorum,
 quorum nobiles imagines exornabant atria
 ædium, porticus, & funerum pompas,
 Posterius ingrederentur. hinc etiam Q. Ma-
 ximus, P. Scipio aliique præterea Ro-
 manæ Civitatis præclari Viri ita soliti di-
 cere, cum Majorum imagines intueren-
 tur, vehementissime sibi animum ad Vir-
 tutem

tutem accendi. Scilicet credebant memoria rerum gestarum eam flammam egregiis Viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam Virtus eorum famam atque gloriam adæquavisset. Verissimum namque est, ingentes ad Virtutem esse stimulos, Majorum laudes factaque illustria. Etenim si Miltiadis tropæis e somno excitabatur Themistocles, quanto magis excitari debent illi, quibus intra palatiorum parietes, quocunque se vertant, occurrunt monumenta Virtutis & Gloriæ? quare non possum ferre degeneres illos Terræ filios, Gigantum fraterculos, qui natalium dignitatem nullo prope loco & numero habent: quasi vero Heroum sanguis in posterorum venis, ipsa meritorum antiquitate & longo Virtutis ordine ad nepotes transmissæ, non sit venerabilis. Quod si enim ipsa antiquorum monumentorum rudera senio suo sacrum spectantibus horrorem incutiunt; quanto æquius non mutos lapides, sed spirantem priscae Virtutis sanguinem heroo semine ad nobilem posteritatem editum non elevare, sed reverenter habere? Uti autem pulcherrima sunt nobilitatis monumenta, Majorum imagines longa serie spectandas exhibere, ita longe est pulcrius, ostendere eorum

eorum facta & virtutes: Uti clarum sane est & diuturnum Gloriæ testimonium, statuas in curiis, templis, comitiis locisque publicis habere; ita vero longe est clarius & perennius, suis meritis doctorum hominum literis immortalis memoriæ consecrari. His autem nominibus illustrior est Serenissima Familia BRANDEBURGICA, fœcunda mater pulcerrimæ Virtutis exemplorum, quam ut me præcone egeat. Ab ultima antiquitate eam arcessunt familiarum periti. casca certe senilitate cum antiquissimis, splendore cum summis, virtutum togæ sagique uberri-
 mis exemplis cum optimis certat Familiis. Quanta animi moderatione FRIDERICO Fratri, cui bellica virtus pro more ejus ætatis cognomen a *ferreis dentibus* præbuit, ante hæc duo sæcula & quod excedit, Patris sui suasu Electoralem cessit dignitatem JOHANNES eo nomine *Primus*? Venustus ille equorum sessor, cui parem ætas prisca vix vidit, ALBERTUS *Primus* rei bellicæ peritia & fortitudine sui similem non habuit, ut vulgo ACHILLES GERMANICUS appellaretur, eoque nomine in Annalibus fulgeat. Hunc habuit Germania, quem Romanis Græcisque Ducibus

Ducibus singulis anteferre, universis autem opponere constantissime possit. & quandoquidem Romanis pariter ac Græcis usu receptum fuisse scimus, ut in medio dicendi cursu etiam Testes audirentur, de fortissimo hoc Heroe loquentem audite Aeneam Sylvium, qui Pii II. nomine Pontifex Maximus fuit: „ Pluribus, „ ait, interfuit præliis, quam alii sui „ temporis duces aut viderunt aut legerunt: Nullus in Germania angulus, „ quem non calcaverit armatus: duxit „ exercitus innumerabiles, prostravit ferocissimos hostes, expugnavit munitissimas urbes; pugnam primus iniit, prælio postremus excessit. Quid JOHANNES Secundo, cui aurea oris Suada, CICERONIS GERMANICI cognomen peperit, eloquentius? Quis JOACHIMO Primo, Academiæ Francofurtanæ Fundatore, literarum literatorumque amantior? audite testem nobilissimum Historiæ Scriptorem: „ Fuit hic Princeps „ (is nimirum, quem modo dixi) nobilis, „ prudens, doctus, ac inter omnes „ Germaniæ totius Principes illa tempestate „ unus facile Mæcenas doctiorum „ omnium: quippe qui eruditos quosque „ fovit ac dilexit. Eodem præclaro reip. „
Literariæ

Literariæ pomœria promovendi ardore in-
 claruere ALBERTUS *Senior*, Eques
 Marianus, Ordinis Teutonici Magister,
 & deinde primus Dux Borussiae, qui Re-
 giomontanam illic locorum Academiam
 fundavit: nec non GEORGIUS FRI-
 DERICUS, GEORGII PII F.
 qui primus Heilbrunnense Gymnasium
 aperuit: nec tacendus FRIDERICUS
 ille MAGNUS, Serenissimi Principis
 nostri Pater, hujus celeberrimæ Acade-
 miæ Parens & nutritius benignissimus.
 Quot non Doctores & Magistri inclutæ
 huic Genti annua liberalissime præstita
 debent? ut eos jure comparare possis mu-
 nificentia erga Eruditionis cultores Ale-
 xandris, Vespasianis, Diocletianis, Ma-
 ximilianis, aliisque Principibus Studio-
 rum amantissimis. GEORGIUS au-
 tem, cui rara illa in tanta dignitate Vir-
 tus, Pietas inquam, *Pii* cognomen ad-
 didit, qua constantia, qua alacritate de-
 fœcatæ religionis tuendæ viguit? quam
 generosa sine fuce probitate CAROLO
 QUINTO Imp. maximo respondit:
 malle se quævis capitis sui pericula adire,
 quam ut divinæ Veritatis desertor & pro-
 ditor fieri vellet? cujus certe Virtutis
 egregium tulit fructum, auctus a L. U-
 DOVICO

B

DOVICO

DOVICO Hungarorum Rege, Oppo-
 liensi & Jægerendorfi Ducatibus. JO-
 HANNES, cui Prudentia honorificum
Prudentis cognomen indidit, cui in An-
 nalibus vel leviter versato potest esse igno-
 tus? ALBERTUS *Junior* ingenium
 adeo ad res belli & pacis expeditum &
 facile habuit, ut in Historiarum monu-
 mentis ALCIBIADIS GERMANICI
 nomine sæpissime occurrat. JOHAN-
 NES vero SIGISMUNDUS Sere-
 nissimi nostri Electoris Proavus, primus
 ex incluta Domo BRANDEBUR-
 GICA harum regionum Dominus, re-
 rum gerendarum opportuna felicitate ma-
 ximam sui nominis famam apud inge-
 nuam reliquit posteritatem. Indignum
 denique facinus foret, sicco pede transire
 magnum illum Heroem, Divum FRI-
 DERICUM GUILIELMUM,
 cui res pace belloque gestæ MAGNI cog-
 nomen apud æquos rerum arbitros pe-
 pererunt, Serenissimi Nostri ELECTO-
 RIS Augustum Genitorem, qui tot &
 tanta gessit, ut ex Poetarum ritu centum
 ora, ferrea vox nec non latera robusta
 forent exoptanda, si illa dicendo vellem
 persequi. Verum malo, quod in mysteriis
 solet, religioso silentio ea venerari, quam
 infantia

infantiae meae culpa tam luculentas laudes
 deterere. Glorietur Patre suo Jove Her-
 cules, Alcide Theseus, Hammone Ale-
 xander, Marte Romulus, aut si qui alii
 ad Deos Auctores genus suum referunt:
 Tuæ gloriæ, SERENISSIME E-
 LECTOR, sera Posteritas acclamabit,
 quod Patrem habueris FRIDERICUM
 MAGNUM, sæculi sui & venturi tem-
 poris stuporem, Civium Servatorem,
 Patrem Patriæ, miserorum perfugium,
 Europæ & Christiani generis delictum,
 hostium terrorem & Fortunæ ipsius Tri-
 umphatorem, Pium, Fortem, Felicem,
 Augustum. Jactet Oriens suos Cyros &
 Darios; Laudent Græci Achillem; A-
 thenæ Miltiadem & Themistoclem; Lo-
 quatur Macedonia suos Alexandros; Ex-
 tollat Roma Fabios, Scipiones, Cæsares,
 Augustos; Prædicet Gallia Henricos &
 Ludovicos; Hispania honoret Alfonsos
 suos ac Ferdinandos; Suos Eduardos Bri-
 tannia; Septem triones ostendent suos Ca-
 nutos, Stenones, Haraldos, Gustavos:
 At nostræ Gentis Annales & nunc & olim
 inter illustres pace & bello Heroas, Bren-
 nos, Arminios, Civiles, Maroboduos,
 Carolos, Othones, & notissima sæculis
 nomina, inter maximorum exempla re-
 censebunt

censebunt FRIDERICUM MAGNUM. Permittite quæso, Auditores Humanissimi, ut repetam, quod supra sum professus, Magnificæ illæ res, quas domi & foris, quas pace belloque ille Heros gessit, non Oratoris linguam, sed acerrimi annalium Scriptoris manum exposcunt. Augusto omnium Virtutum apparatu instructus effecerat, ut civibus suis pariter carus & venerabilis esset. Misericors portus & benignus Tutor, ad instar Solis quaquaversum suæ beneficentiæ radios diffundebat, ut etiam extorribus Pedemontanis & profugis Patria Gallis, quibuscum sunt nobis Sacra communia, præsidium voluerit esse ac solatium. Manu strenuus, militiæ intrepidus, hosti suo formidandus, bello invictus, in præliorum initio primus, exitu postremus; ut omnibus fiduciam afflaret, circumire cuncta; manu, voce, vultu, singulis præire; in castris, non in deliciis se æstuanti Fortunæ ostendere consueverat: cunctis perfecti Imperatoris artibus instructissimus, omnium castrensiū munerum diligens, in operibus, in agmine, ad vigilias re magis ipsa, quam verbis hortator; laboris, inedia, algoris, vigiliæ patientia indefatigabilis: consilio Dux, exemplo

exemplo Miles ; summa in excogitandis
 consiliis sapientia & solertia , in exsequen-
 dis dexteritate & celeritate , in bellando
 solida virtute , de hostibus innumeras si-
 ne exceptione victorias reportavit ; de
 Fortuna semper triumphavit , nunquam
 adversa dejectus , nunquam in prospera
 insolescens. Ut in armis , ita & in toga
 sine pari erat Magnus Heros. Majestas
 sine fastu , sine abiectione comitas , reli-
 giosi mores effecerant , ut omnes illi pie-
 tatis , justitiæ , humanitatis , & liberali-
 tatis deferrent primas. quibus accede-
 bat concors illa & se & populos moderan-
 di æquabilitas , unde generosissimus illius
 animus idem erat in lætis & tristibus , ut
 rupes , quam neque allidentes insani ma-
 ris fluctus , nec ventorum minæ concu-
 tiunt. Qui Fortunæ contemptor & æqua-
 bilis animus Magnum Heroem inter se-
 cunda & adversa , inter prælia & labo-
 res , inter ambigua & manifesta , inter
 tot multiplices rerum humanarum vi-
 cissitudines ad extremum usque vitæ ter-
 minum nunquam dereliquit ; ut tandem ,
 cum instaret inevitabilis illa fati lex , cum
 pulcerrime nosset , nec Reges nasci sine
 exceptione denascendi , imperterrita ani-
 mi magnitudine , tradita SERENIS-

SIMO FILIO inter circumstantis coronæ lacrumas & suspiria, Electorali, ut ita loquar, lampade & purpura, atque commendata veræ Religionis cura, Populi salute, miserorum causa, perenni gloria plenus ac humanas laudes supergressus, Generosissimus Imperator felici apud Superos victoria de morte ultimum ac speciosissimum egerit triumphum. Celsissimæ porro hujus familiæ domestica decora, matrimonia & affinitates quis Demosthenes, quis Cicero posset dicendo percensere? Taceo hic vitæ periculorumque Nostri Augusti fidissimam & individuum sociam, Junonem illam suo Jove dignam, AUGUSTAM PRINCIPEM nostram, Matrem illam castrorum, ut Veterum Augustarum cognomen illi ex jure & merito addam, cujus in venis inerrat regius ille magni WITECHINDI Sanguis, qui cum CAROLO MAGNO victoricia per terrarum orbem arma circumferenti summa & incredibile virtute occurrisset, eidem Imperatori non tam bello, quam salutari Servatoris nostri doctrinæ victas dedit manus, & suo exemplo magnam illam Saxonum gentem Domino ac Deo nostro CHRISTO subjecit. Taceo Divam AUGUSTI nostri MATREM, genuinum,

nuinum, cum viveret, matronalium Virtutum exemplum, sæculi sui ornamentum, ex Geniorum illorum veræ Religionis Libertatisque tutelarium, & Europæ assertorum, AURIACORUM sanguine oriundam, cujus pietatem in Deum, morum sanctitatem, modestiam singularem, animi magnitudinem, prudentiam supra sexus sui captum nulla sine piaculo filebit. Posteritas, cum fuerit eminentissimæ virtutis Princeps, & in tantum laudanda, in quantum Virtus ipsa laudari potest. Hac tanta Genitrice POTENTISSIMUS ELECTOR noster propinquo nexu conjungitur Regio Sanguini ANGLICANO. Taceo, ut Augusta BRANDEBURGICA Familia per affinitates & consanguineos omnem purpuræ Regiæ nobilitatem, qua patet Europa, contingat, & inter imagines suas longo Heroum stemmate ostendat maximos Angliæ, Castiliæ, Daniæ, Bohemiæ, Poloniæ, Sueciæ, Hungariæ Reges, & tot Electores, ac per Germaniam, Italiam, Poloniam majorum gentium Principes. Taceo purpureos Cardinalium galeros, & tot infulas Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum, Equestrium Ordinum Mariani Teutonici

& Johannitici Melitensis magisteria, (Licet mihi dignitates illas sacras notis nominibus appellare,) quibus foecunda Heroum Mater fulsit gens BRANDEBURGICA. Cathedralis profecto Ecclesia, quæ Moguntiaci est, seminarium illud Archiepiscoporum & Electorum Moguntinorum, Magnifici illius Principis & Cardinalis ALBERTI, Electoris & Archiepiscopi Moguntini, Magdeburgensis & Halberstadenſis munificentia debet Attalicas illas gazas, quibus generosissimus hic Elector eam Ecclesiam donavit. Mirifica autem semper fuit Factorum erga hanc Gentem benignitas. Posteaquam enim BURGGRAVIIS NORIBERGENSIBUS, Conditoribus inclutæ Gentis, Voitlandia & Marchionatus, qui Supramontanus dicitur, sæculo post N. C. duodecimo, accessisset, ita brevi longe lateque per Franconiam, Marchiam, Pomeraniam, Borussia, Silesiam, Cliviam, Juliam, Montes, Saxoniam, Westovaliam tanta sumſit incrementa, ut a Duna & Memela ultra Rhenum, Mosam, Mœnumque fluvios, continuo amplissimarum terrarum tractu potentissime simul & iustissime dominetur, & Regibus sua regna minime

minime inuideat, ut hic præteream in ipsius Africæ & torridis auriferæ Guineæ litoribus nostra ætate fixas fuisse BRANDEBURGICAS aquilas. Neque vero armis, alienique contra jus & fas invasionibus, non veteratoriis *dependentiarum* & *reunionum* commentis, ut impiam & barbaram rem barbaro designem vocabulo, tot regiones sibi pepererunt Augusti Principes, non fines suos aliorum injuria studuerunt amplificare; sed jure, sed connubiis, sed hereditate, largitione etiam Cæsarum & Regum, ob ingentia erga Imp. Rom. Regesque merita: his, inquam, honestissimis artibus solida & in omne ævum duratura ditionis Imperiique fundamenta collocarunt. nihil scilicet ad magnitudinem acquirendæ possessionis tam facit, quam Justitia; nihil continuam magis firmat, quam Pietas. Hoc ergo Tanto Patre, Hac tam Augusta Matre, hac longa Heroum serie, his Consanguineis, in spem tantæ dignitatis tantique Imperii, ad gubernationem tot regionum, in sæculi reparationem ortus est Pater ille Patriæ, Reip. nostræ ac Religionis ille Servator, Felicitatis sæculi, Pacis & tranquillitatis Assertor & Restitutor, optimarum artium ac hujus A-

B 5 academiæ

academiæ Patronus ac Defensor Unicus,
 Avitorum decorum virtutumque Heres,
 maximus & optimus Principum, Poten-
 tissimus S. R. I. Elector, FRIDERI-
 CUS, cui Sacer Ternarii numerus TER-
 TII agnomen aptavit. In quem cum o-
 mnis Majorum sapientia, virtus, fortu-
 na confluerit, mirum non est, si in
 EO pulcerrimum cernamus Virtutum
 satellitium: Animi moderationem, qua-
 lis eluxit in JOHANNE *Primo*; AL-
 BERTI *Primi* virtutem bellicam; ma-
 sculam JOHANNIS *Secundi* eloquen-
 tiam; JOACHIMI *Primi*, ALBERTI
Senioris, GEORGII FRIDERICI, PA-
 TERNUM denique illud immensum erga
 literas literatosque studium & amorem;
 GEORGII Pietatem; JOHANNIS
 Prudentiam; promptum illud ad civiles
 bellicasque artes ingenium, quo fulsit
 ALBERTUS *Junior*; JOHANNIS
 SIGISMUNDI rerum opportune ge-
 rendarum peritiam; *Divi* tandem PA-
 TRIS concordem pacis bellicque mode-
 randi æquabilitatem: Estque pulcerrimus
 hic Virtutum concentus in SERENIS-
 SIMO PRINCIPE tanto illustrior,
 quo rarior, ut etiam sine ulla natalium
 felicitate tot regna mereatur, quot au-
 gustis

gustis & tanto fastigio dignissimis eminent
 virtutibus. ita vero Majorum suorum
 virtutes superat, ut quæ singulis partitim
 contigerant, eas Unus Hic junctim habeat
 universas, quarum tam illustria & admi-
 randa exhibuit specimina, & quotidie
 exhibet, uti, cum propriis adeo abun-
 det bonis, non aliunde Ejus laudes sint
 arcessendæ. Longe majus est scire uti
 imperio, quam hujus artis nescium in
 imperio nasci; quod illud Virtutis sit,
 hoc Fortunæ: illud vero ipsa dignum
 immortalitate est, Summum Principem
 eo animo esse, quo Fortunæ indulgentia
 non abutatur, sed omnia ad Virtutem,
 ad decus, ad honorem, ad gloriam, ad
 Populi salutem summa prudentia ac con-
 stanti referat moderatione. Atque uti-
 nam, quantus est, **SERENISSIME**
OCTOVIR, Tuæ Majestatis Splen-
 dor, tanta mihi inesset dicendi ubertas &
 copia, sperarem luculenter & magnifice
 nonnulla a me posse dici: verum cum vi-
 deam omnia, quæ ad dicendum faciunt,
 in me esse exilia, vires, ingenium, fa-
 cundiam; hic vero nihil esse, nisi excel-
 sum, sublime & eximium; hæret fere
 vox, nec verbum verbonectere aude-
 rem, imo incredibiles tuas Virtutes sa-
 cro

cro plane silentio præterirem, ut Majores nostros olim fecisse accepimus, si quando in augusto luco Deos venerentur; nisi Tuæ Majestati conjuncta Serenissima humanitas tantum virium meæ imbecillitati adderet, quantum tanti fulgoris ademerat imago. Id enim est Tuæ Gloriæ meritissimæ præclarissimum lumen, is animus sublimis lucidissimo omnium Virtutum Sole præfulgens, ut Electoralis Purpuræ auroram, minutaque ista sidera, quæ circum TE radiant, clarissima luce obscurare atque offundere penitus videatur. Gratulandum profecto est felicitati temporum nostrorum, quod Maximum hunc Principem, Summorum decus, arcana Fatorum benignitas tam generis sui prærogativa, quam jure & merito in amplissimum tot regionum Imperium bono reip. cælo demiserit, quo Auspice sæculum quasi in aurum postliminio redire videtur, & Octavii Augusti Titique Vespasiani imperium Civibus promittere. Ut autem magna felicitatis pars est, summo loco natum esse; ita multo major est, Magnanimos natum fuisse Parentes, qui excelsam indolem ad optima quæque a teneris adsuefaciant. Verbis opus non esse, ubi re-
rum

rum adsunt testimonia, sciscunt Sapientes. Quis igitur Principum hodie vivit, qui cum AUGUSTO nostro ELECTORE possit comparari, rerum civilium pacisque ac belli artium peritia? nolo sanctissimam Illius ab ineunte ætate bonæ mentis, & supra Fortunam suam adsurgentis, culturam temeraria exigui mei ingenii audacia profanare. Sic enim, per omnes optimarum artium, & Summo Principe dignarum gradus, ad masculæ prudentiæ & regnatricis solertiæ summam evasit, ut superiorem agnoscat neminem. In ætate ineunte & adulta artes & exercitia optimi Principis fuerunt non tam venationes, belli præludia; quam exercere militem, lustrare turmas, arma nova, novas machinas excogitare aut explorare, vires regnorum ac potentiam librare, populos dirigere ac tueri, miseris adesse, liberalitate inusitata quosvis, maxime eruditos, demereri, sanctis meditationibus ac votis Summam Dei Majestatem ad salutem Reip. cælo advocare, Historiarum veterum & recentium monumenta peragrarè. Historia certe, Auditores Humanissimi, illa regnantium magistra, quasi quoddam templum in AUGUSTI DOMINI nostri pectore sibi videtur constituisse.

stituisse. In Annalium namque memoria sine labore reperiuntur, quæ cum labore aut didicit alius aut præivit. Ita est, Auditores, in Historia propositas cernimus bonorum virtutes, improborum vitia, mutationes humanæ vitæ, rerum in ea conversiones, regnorum subita aut lenta exordia, & præcipites imperiorum casus. Omnium inde rerum exempla in illustri posita licet intueri, inde, quod populo frugiferum atque salutare, licet capere; inde foedum exitu, foedum inceptu vitare. Sæpe enim fieri solet, ut suadere Principi, quod oportet, res multi sit laboris; At muti hi consiliarii nihil blandiuntur, nihil celant, puram semper meramque sine ulla assentatione propinant veritatem. Hinc optime discimus regna omnia, civitates, nationes usque eo prosperum habuisse imperium, dum apud eos salubria valuerunt consilia; ubicunque gratia, timor, ira, voluptas corrupere salubria consilia, pessum omnia ivisse. hinc discimus eas artes regendæ Reip. quibus toga ornatur, naturam populorum, regnorum indolem, actus, artes & arcana imperii, quibusque modis temperanter habeatur: hinc leges Solonis, Lycurgi, Zaleuci, Charondæ & aliorum
rum

rum Heroum, qui olim resp. & civitates
 sapientissimis institutis formarunt, acci-
 pimus. hinc sagi etiam artes, belli con-
 silia & stratagemata, rei que militaris di-
 sciplinam licet addiscere. novimus equi-
 dem derisum ab Annibale Phormionem,
 arbitrante, non posse eum de militia ju-
 dicare, cujus aures tubarum clangor non
 personuisset: novimus Marii contemtri-
 cem literarum jactantiam, se militando
 ea dedicisse, quæ consulares Viri literis;
 se eorum partem vidisse, alia ipsummet
 egisse, quæ illi homines præposteri, ut
 vocat, audire ac legere solerent. quasi
 vero acta majorum & militaria præcepta
 facem non præferent ad res bene geren-
 das; quasi legendo non liceret fideliter
 præparari ad faciendum; tanquam si non
 esset permissum, cum in exemplis omnium
 rerum facies & viva imago elucescat, cul-
 tum ad speculi fidelissimi & minime men-
 daxis indicium disponere! aliter sentiebat
 maximus ille & rebus gestis clarissimus a
 libris Imperator Lucullus, nunquam ille
 hostem, nunquam ante aciem aut præ-
 lium viderat, cum idem regere atque in-
 struere militem, formare aciem, vallare
 castra, urbes obsidere & oppugnare, &
 quæ alia militiæ opera sunt, supra alios a
 lectione

lectione tantum percallebat; cuius lectio-
 nis egregios bello Mirhidatico fructus re-
 tulit: nec minores AUGUSTUS noster
 ex utroque, Arte & Marte, PRIN-
 CEPS, de quibus, cum publica existent
 documenta, superfluum puto, Audito-
 res Spectatissimi, vestra abuti patientia.
 Ad alia pergamus. Quantopere CLE-
 MENTISSIMUS ille DOMINUS
 noster, & hereditario quodam amore, &
 excitato a celeberrimis Doctoribus studio,
 foveat Eruditos solidamque Eruditionem,
 quantopere faveat bonæ mentis cultori-
 bus & illis artibus, quæ ab Humanitate
 nomen acceperunt, vel ex eo evidenter
 cernere & colligere licet, quod fugien-
 tem hac tempestate & tantum non per-
 euntem Literarum dignitatem unice re-
 spiciat, quod jacentes literatorum animos
 erigat, cum intelligant omnes tantam ef-
 se in MAGNO hoc PRINCIPLE
 nostro his temporibus humanitatem, tan-
 tamque beneficentiam, ut me postremum
 quidem, atque in illo ordine infimum,
 non dicam illaudatum, sed & illustri pro-
 vincia in hac Electorali Academia volue-
 rit esse ornatum. Macti estote virtute
 bonæ mentis cultores & satellites! durat
 adhuc honos studiis, nec tanto Duce &
 Auspice

Auspice Barbaries sæculo nostro imminet, imo vero profligabitur plane, & posterius olim nostri hujus Literarum Statoris benignitatem admirabuntur. At cum fluxa sint & caduca omnia, quæ in hoc terrarum orbe agitant mortales, non est omnino rebus hisce humanis nimis indulgendum, nec affligendus tantummodo humi cœlestis animus. Hoc cum pulcherrime nosset **OPTIMUS PRINCEPS** noster, & sine mascula pietate cæteras virtutes splendida esse nomina, ita mentem suam a tenera ætate rerum divinarum accurata scientia excoluit, ita veros de Deo rebusque sacris sensus penitus hausit, ita genuinam sine ulla superstitione, sine ostentatione pietatem animi sui medullis infixit, ut hoc nomine fama constantissima ubique terrarum etiam illis opponat, qui ab ineunte ætate hoc unum egerunt, ut sanctissimæ Christianæ doctrinæ mysteria præ reliquis intelligant. Scilicet unus omnium regnator Deus est, cujus præscripto Natura ac Fortuna Imperantibus ministrant, qui pie cultus regna firmat, qui neglectus publica convertit, cujus vicem in terris quidem Terrarum Domini funguntur, sed qui ita his potestatem assignavit, ut cogitare

C

gitare

gitare semper debeant, ideo se in illustri-
 positos loco, ut primo facta tecta præ-
 stent, quæ sint Dei immortalis, dein Po-
 puli salutem, beatamque civium vitam
 sibi unice propositam habeant. Cedant
 ergo patritiæ Florentini Doctoris artes,
 sileat vulgare illud & omnium sermoni-
 bus tritum, Pietatem & bonam fidem
 plebejas esse laudes & virtutes; eas re-
 gnandi gratia impune prodi, pietatemque
 a Magnatibus sub larva ex usu Principa-
 tus coli, populos enim tantum simulata
 quadam religionis specie esse alliciendos.
 Falsum hoc reddit, SERENISSIMI
 ELECTORIS piissima in Deum fi-
 ducia, quæ in Incomparabili Heroe ita
 elucescit, ut nemo nisi malignus & spon-
 te sua cæcus illam possit ignorare. Id
 enim longe verissimum est, ut Principum
 impietate imperia vitiantur, sic vera Eo-
 rum religione ad veram pietatem excitari;
 sibi que facile persuadent cives, eum Prin-
 cipem nihil non honestum, nihil non pu-
 blicæ utilitati consentaneum vel cogitare
 posse, vel decernere, qui integra mente
 atque incorrupta Deum O. M. justis af-
 ficiat honoribus, & sanctissimis precibus
 veneretur. Atque ut sine ambagibus ani-
 mi mei sensus profitear, feraci hoc male
 feriato-

feriatorum hominum sæculo, qui ut sapere videantur, cœlum vituperant, a-
 fim opponere **OPTIMUM PRIN-**
CIPEM nostrum, qui Deo ipso Duce
 ad harum regionum clavum difficillimis
 & exulceratis hisce temporibus est admo-
 tus. Est profecto arcana quædam Fato-
 rum providentia, quæ supra nos cuncta
 curat humana, quam nulla evertit insa-
 niens hominum sapientia. Ipse Summus
 ille rerum Moderator nostro Heroi viam
 fecit, sed talem, qua per rigidæ Virtu-
 tis tyrocinia & utramque sortem patien-
 tiæ & moderationi initiaretur. atque uti-
 nam omnes item Reges, per hæc Virtutis
 experimenta & spectatam inter bonos mo-
 derationem atque continentiam, ad re-
 gium progredierentur solium. æquabilius
 certe & constantius sese res humanæ ha-
 berent, nec ambitio & perditæ adurato-
 rum artes ex Regibus facerent magnos
 latrones & humani generis pestes, nec
 tantum bellorum per tot sæcula ubique
 terrarum continuaretur, nec per Scythi-
 cos istos cum humano corio lusus plus
 hominum raperent arma, quam naturalis
 fatorum conditio, cum Regum animi re-
 bus secundis & ex voto nimium fluenti-
 bus insolescunt & ferociunt, ut ad instar

C 2

magno-

magnorum morborum non nisi urbium
desolatione, hominum occidione inno-
scant. Sed quorsum rapior? e diverticu-
lo in viam redeamus. Quod si vero, ex
Rhetorum præceptis, totum illum, quibus
AUGUSTUS noster fulget, tenui meæ
orationis penicillo virtutum chorum ad-
umbrare vellem, satisfacerem fortasse le-
gibus illorum, qui dicendi præcepta &
exempla Posteritati reliquerunt, Vobis
autem forsan minus, Honorandi Auditores,
mihi certe ipse facerem minime gentium
satis. Id enim mihi hac in re contingit,
quod iis evenire solet, qui oculorum a-
ciem in nitentes Solis radios intendunt;
nam quo magis illos intuentur, eo ipsa
videndi vis ac sensus fit nimio lumine ac
claritate maximi sideris languidior atque
hebetior. Tantum certe summarum Vir-
tutum & meritissimæ laudis fulgorem cir-
cumfundi video, ut non meam modo,
qui dicendo minime valeo, sed præstan-
tissimi cujusvis oratoris facundiam & in-
genium vincat, satiusque videatur mode-
sta taciturnitate venerationem testari,
quam oratione, quæ longe esset inferior
futura, perstringere. Aegyptios Sacerdo-
tes accepimus olim inter sacra solitos so-
num tantum decantare vocalium litera-
rum,

rum, id illis pii gratissimique Diis concentus loco fuisse. fuso nimirum muto illo sono, cum pro rerum dignitate nihil possent, hoc ipsum, ut arbitror, significabant, nihil se posse & plurimum velle. Rectius enim est, prudenter quemque secum reputare, quid possit; quam imprudenter conari, quod nequeat. Sic mihi commemorandis virtutibus AUGUSTI nostri ELECTORIS plenum insolentiæ videtur, si quis vel conetur eas extollere, quæ per se sunt eminentissimæ; vel recensere earum laudes, quæ sunt innumeræ; vel quovis modo Soli lumen scenerari, ut ita loquar, cum tot virtutum lumen & splendor omnium oculos jam olim mentesque præstrinxerit. Quis enim nescit, ut apud AUGUSTUM nostrum fulgeat ille imperiorum Sol, Justitia? cum Legum ipse non minus sit accuratus custos & observator, quam providus earundem exactor. hinc & ipsi cives obsequium Legibus lubentissime præstant, estque æmulandi Principis amor longe validior, quam pœna ex legibus. infidelis enim recti magister metus est. Ita est, Auditores Venerandi, Principum facta & dicta fere in exemplum ire solent, ac pæne Legum subeunt vicem: observatumque

vatumque est a civilis prudentiæ magistris, malos Principes, dum vitia in civitatem infundunt, plus exemplo, quam peccato nocuisse. Est enim Principum ac Superiorum vita, cum Solis instar omnium oculis, linguis, calamis proponatur, nihil aliud, quam perpetua quædam censura ac linea, ad quam cives diriguntur. Hinc sub justo Principe ipsi iudices sanctitatem judicandi severitatemque tuentur, nihil precibus, nihil favori, nihil gratiæ datur; nihil Titio, nihil Mævio, nisi quod jus & fas poscunt, ordo sanctissimus adjudicat; ipsi etiam caussarum Patroni jus & æquum atque leges, non æternas ex litibus lites, adserunt. Cui porro AUGUSTI PRINCIPIS nostri ignota Clementia & mansuetudo, illa maximorum Principum prima dos, insignis illa Principalis coronæ gemma, ille populorum animos in amorem Principis alliciendi magnes, illa benevolentia conciliatrix? Verissime Princeps Romanæ Historiæ: „ Qui benignitate & clementia „ Imperium temperarunt, his candida & „ læta omnia fuere. Ut non immerito optimus ille Sapientiæ civilis Doctor suo Alexandro inculcarit, Pateret omnibus Clementia Majestatis regiæ. Eam vero in

in AUGUSTO nostro mixturam Clementia fecit cum Justitia, ita altera alterius temperat indolem, ut nec Clementiæ facilitas auctoritatem, nec Justitiæ severitas populi imminuat amorem. Ut enim ultoriæ severitatis censura temerariæ delinquendi licentiæ fenestram claudit; ita e regione nimia indulgentia bonos ad mala perpetranda invitatur, malis vero ad scelera relaxat fræna. SERENISSIMO hinc PRINCIPI nostro visu & auditu juxta venerabili, cum magnitudinem & gravitatem summæ Fortunæ retineat, invidiam & arrogantiam effugiat, & ubique illibatum Majestatis honorem, quæ imperantium anima est, tueatur; ex sacris Aegyptiorum figuris sceptrum dedicari posset, cujus summo apici ciconiæ caput; extremo manubrio equi marini additum esset, hoc Justitiæ, illud Clementiæ eleganti connubio junctarum symbola. Fortitudinis autem in utraque Fortuna, & animi sibi constantis atque æquabilis, tot & tanta publice privatimque domi militiæque exstant AUGUSTI nostri experimenta & specimina, ut memoriæ temporum & vestro judicio, Auditores Doctissimi, diffidere viderer, si illa ambitiose vellem recensere.

Taceo hic temperantiam, beneficentiam & liberalitatem, affabilitatem & facilitatem in omnium desideriis excipiendis, severitatem disciplinæ domesticæ, magnificentiam, sed quam temperat civilitas in cultu, victu, vitæ habitu; alias illustres maximorum animorum Virtutes, quibus Terrarum Domini commendantur; quibus sane SERENISSIMUS noster ELECTOR ita D. O. M. munere excellit, ut Principis perfectissimi, atque omnibus numeris absoluti, exemplum admiraturæ olim posteritati sit relicturus. Quis ergo valde miretur in tali tot Virtutum cœtu & concentu perfectissimam regnandi prudentiam? quis valde miretur Aulam AUGUSTI nostri OCTOVIRI esse illustrium animarum illustre Prytaneum. Cum enim gravissimi Principis labores magnis egeant adminiculis, & pleraque in summa fortuna auspiciis & consiliis magis, quam telis & armis geri soleant; hinc MAXIMUS ELECTOR divino quasi MAGNI PATRIS & suo ipsius delectu, pro egregia prudentia, adscivit ad participanda consilia Ministros rerum peritos, arduis exercitos negotiis, sibi fidos, de salute Domini & Reip. sollicitos, sanctitate, veritate, Historiarum cognitio-

cognitione, variarum Linguarum peritia
 conspicuos; lectissimos, optimos & sum-
 mos quosque Viros, qui sine ullo assen-
 tandi studio aperta ingenuitate & dexte-
 ritate cum re mutare consilia, eaque san-
 ctissima taciturnitate, illo optimo & tu-
 tissimo rerum administrandarum vinculo
 colligare, & occasionem, animam actio-
 num & rerum omnium feliciter agenda-
 rum matrem, accurate norunt observare.
 Sed cui ignota sunt illustria illa Aulæ
 BRANDEBURGICÆ lumina? quo-
 rum gloriam cum amplificare non possim,
 vereor ne illam verius imminuam, si mul-
 tis referre coner. Quod si ea demum ve-
 ra est gloria, gloria dignum & esse &
 omnibus videri, eam hi Viri Illustres tam
 abunde sunt consecuti, ut nihil supra.
 Illustrem illum Literarum Patronum
 FUCHSIUM, inter Augusti nostri pur-
 puratos, ob incredibilem rerum civilium
 & politicarum peritiam, ob insignem ju-
 ris divini, humani, publici privatique
 scientiam, ob augustam eloquentiam, ob
 alias animi divini egregias dotes, quas
 Scriptores non vulgares etiam publicæ ad-
 mirationi exposuerunt, quis inquam hunc
 Virum omnium laudes supergressum ne-
 scit? Quis nescit fulgentia illa DANCKEL-
 MANNORUM

MANNORUM sidera ? quos inter, veluti puro cœlo salutaris ille Jovis fulgor nitet, sic Perillustris splendet EBERHARDUS DANCKELMANNUS, primæ admissionis apud SERENISSIMUM nostrum ELECTOREM purpuratus & arcanorum particeps. Hoc ex familia ista togæ eminentissimum decus, sine summo flagitio & ingrati animi nota, leviter transire non possum. Tanto enim turpius gratiam non referre, quanto honestior causa referendæ. verum quicquid hic paucissimis dixero, minus erit meritis æternis Maximi Virorum: prius enim Oratores etiam eloquentissimi erunt defessi laudando, quam tantus Vir laude digna faciendo. Hic cum apud AUGUSTUM nostrum fere eandem sustineat personam, quam olim apud Divum Augustum ille Etruscorum Regum sanguine oriundus eques Mæcenæ, adeo præclare Reip. cura & inconcussa in Principem fidelitate partes suas agit, ut inter præcipua sæculi ornamenta sit numerandus: colit Studia, eorumque cultores amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, præmium; ipsarum denique literarum jam senescentium dulce decus & præsidium. Plura ut addam, modestia

modestia tanti Viri vetat, quem vel ipsa amat odium, ipsa laudat invidia. Ut fulget porro inter eos, qui Aulæ BRANDEBURGICÆ famam doctrinæ, virtutis atque sublimis ingenii gloria late apud exteros protulerunt, Vir ille tot legationibus cum laude perfunctus, ut Gallorum etiam Regi quamvis hosti placeret, qui studiorum prospero cursu ac feraci vigiliarum proventu, ad supremam & admirandam multiplicis doctrinæ laudem egregie conscendit: in quo quæcunque dici aut fingi possunt, vel acerrimi iudicii, vel infinitæ lectionis, vel eloquentis doctrinæ, vel reconditæ literarum notitiæ, vel mirificæ in versandis explicandisque Veterum nummis dexteritatis, lumina cuncta sunt, atque alia amplius. neque enim satis illi fuit quotidie de Rep. bene mereri, sed quicquid temporis a publicis negotiis vacuum superest, id omne in literarum studiis collocat, ut eruditissimis ac in perpetuum victuris monumentis devinciat sibi posteritatem, & omnem Literatorum illustrium antiquitatem non provocare modo possit, sed longo etiam intervallo superare. Facile intelligitis, Cultissimi Auditores, me verba fecisse de magno illo & singulari nostræ

stræ

stræ ætatis decore SPANHEMIO. Quin,
 ut posteris etiam prospiciatur, ad exem-
 plum Magni Alexandri, SERENIS-
 SIMUS ELECTOR inter suos ad-
 adscripsit celeberrimum illud Prudentiæ
 politicæ & historicæ oraculum, illustrem
 PUFENDORFIUM, qui nostri tem-
 poris Historiam literis mandet, & quasi
 in album referat, cum singulari apud
 omnes fidei & veritatis opinione præteriti
 temporis Historiam ita perscripserit, ut
 attentiore cura & præstantiore facundia
 nemo. Ita est profecto, Auditores o-
 mnium ordinum humanissimi, plurimum
 sane refert, quo unumquodque ore di-
 catur, quo stylo exaretur. Scimus Di-
 yum Augustum, Principem Maximum,
 nihil de se rebusque suis voluisse compo-
 ni, nisi maxima cum cura & a maximis,
 admonitis etiam Prætoribus, ne nomen
 suum obsolescere paterentur. Maxime e-
 nim interest Majestatis Principum, ut
 æternæ memoriæ res eorum gestæ tra-
 dantur victuro & erudito stylo, ne ullis
 sæculis consenescere, ne ullis unquam obli-
 vionis tenebris obscurari, ne meritorum
 gloriæ afferre finem ulla possit æternitas:
 cui fini non nisi excelsæ & illustres ani-
 mæ, veri, ad posteros, Heroum legati
 sunt

sunt pares, qui fugam temporis sistant, qui victura scribant, quibus chartæ ipsæ ardere, ipsique posteri Virtutis amore, admiratione & exemplo accendi & inflammari videantur; eo genio, ut totus ille supra & infra nos ambitus, cum æternis illis ignibus & flammis, immensa illa venturi temporis profunditas nec famam terminare, nec gloriam possint finire. Sed si omnia figillatim cœli illius **BRANDEBURGICI** sidera, quæ proxime a Sole suo absunt, admirari vellem & recensere, ecquando, Auditores Humanissimi, finem reperirem? præcipue cum non minore splendeant fulgore, quæ in remotioribus provinciis **SOLIS AUGUSTI** radios civibus impertiunt. ne procul abeamus, nostra Clivia & Marca ut fulget coruscis sagi togæque luminibus? ut lucet castissimis illis & integerimis Themidis Flaminibus? Temporis brevitatis, quo video me circumscribi, jubet taciturna modo veneratione tot ubique per nostram Cliviam, aliasque amplissimas nostri **ELECTORIS SERENISSIMI** ditiones splendentia Politicæ & Justitiæ lustrare sidera. Præclare autem a Sacratissimo Imp. Justiniano est annotatum, Imperantis Majestatem non solum

solum legibus oportere esse armatam, sed
& armis decoratam, ut utrumque tem-
pus & bellorum & pacis recte possit gu-
bernari, & Princeps non modo per leges
populorum prospiciat salutem, verum etiam
virtute bellica hostium victor existat,
fiatque tam juris religiosissimus, quam
victis hostibus triumphator magnificus.
neque enim sufficit regnum moribus &
legibus formare ac emendare, sed & mi-
litaris disciplina est constituenda. Utram-
que vero hanc rationem PATER PA-
TRIAE ejusque AUGUSTUS GE-
NITOR hereditaria virtute perfece-
runt. His Ducibus nobilitas Germanica
ad antiquam Virtutis & armorum gloriam
refloruit, ubique tropæa & hostium exu-
vias statuit, de barbaris & incultis na-
tionibus spolia opima reportavit, & vi-
ctrici velata lauro ad patrios Lares est
reversa. hinc militi BRANDEBUR-
GICO ea est apud exterarum gentes glo-
ria, ut non puduerit Gallos, gentem
suis inventis satis ferocem, & peregrini
moris contemtricem, nonnulla a more
Brandenburgico mutuari. hinc invicta illa
phalanx ubique per Germaniam, Belgi-
cam, Poloniam, Hungariam suæ forti-
tudinis edidit exempla, reliquit monu-
menta.

menta. Buda aliæque urbes per Hunga-
 riam captæ, non ita pridem, & ante an-
 nos non ita multos Sueci castris omnique
 per Germaniam ditione, inusitata tempo-
 ris brevitæ & fortitudine, exuti omnibus
 faciunt fidem eorum, quæ dico. hinc
 cum sub AUGUSTI sui DOMINI
 pugnarent auspiciis illa belli fulmina, ve-
 ra Martis soboles ac tradux, quis hostis
 eorum impetum sustinere potuit? cum
 ipse novitius etiam miles, inter ferrum na-
 tus & educatus, multiplicem armaturæ
 scientiam, membrorumque agilitatem
 quotidianis sibi comparaverit præludiis,
 & ex legibus militaris disciplinæ scienter
 munia sua obire norit, ad dictata ordines
 ducere, bombardas certo ictu explodere,
 hastam perite vibrare, turmatim in latus
 convertere & in terga obvertere aciem,
 unius nutu se contorquendo totius globi
 circumagendi dexteritatem uno corpore
 repræsentare, flexus motusque omnes ser-
 vare, loricam instituere, castra gemina-
 re, vallum ducere, cuniculos agere, fos-
 sam aperire, mœnia conscendere; Vete-
 ranus vero miles tot victoriis duratus,
 quem parem habet? non in hypocauftis
 & vaporariis semitostus, semiaridus per
 hyemem desidet, nec hyberna ab æstivis
 anxie

anxie distinguit, a focis suis ad salutem
 patriæ atque aras vindicandas promptissimo
 obsequio se abripi patitur, ad libertatem
 popularium adserendam, de sua securus,
 animam generosa virtute obstringit. Non
 itaque mirum, si & exteri Reges studio-
 sissime robur BRANDEBURGICI
 militis suo exercitui cupiant adjungi. tan-
 tum namque periti præstant imperitis,
 quantum pugnantes interdum pugnantibus
 noctu, si unquam talis pugna contingere
 possit. Sed non minor est cura SERE-
 NISSIMO PRINCIPI nostro de
 Reip. & belli nervo, Herculeo illo re-
 gnorum & principatum propugnaculo,
 Aerario. illud enim ita instruxit, auxit,
 disposuit, ut qua necessitas & utilitas exi-
 git, pro aris focisque, scepro populisque
 lubentissime expendat. tondet pecus, non
 deglubit; malus est enim olitor, iudice
 Alexandro Magno, qui olera radicitus
 excindit. non sane minus est constituisse
 ærarium, & apte collocare, quam con-
 servare. unde eam dedit operam, uti tri-
 buni ærarii, quæstores, coactores, pu-
 blicani, cæterique Pluti satellites ita rei
 gerendæ nervo invigilent, ut sine ullo
 populi gemitu, sine æruscationibus aut
 pecuniæ exsugendæ artibus, omnibus
 Reip.

Reip. necessitatibus, finibus tutandis, castellis loco idoneo struendis, milite exercitato sub signis habendo, fidis propugnaculis, Legationibus splendidissimis abundantissime sufficiat: ut ad instar Mutii Scaurique Aemilii, **PRINCIPIS** sui atque adeo publicam magis, quam suam rem curent; & cum pessimum sit humani affectus venenum sua cujusque privata utilitas, eos Viros legit, qui solo patriæ, solo honesti amore officium faciant. Cedat ergo Tibi, **SERENISSIME** atque **POTENTISSIME PRINCEPS** Magnus ille Alexander; Tua enim aula alit milites, quos non effæminata & mollis Asia; sed Thraces, Martis illi filii, sed Galli, qui instar Scytharum plus hostiarum Marti, quam reliquis Diis offerunt, horrent. Cedat Tibi, **SERENISSIME PRINCEPS**, Augustus; Tua enim Aula fovet plurimos Viros, qui Religionis, Politicæ, Militicæ, Justitiæ, Aerarii curam prudentissime simul & dexterrime administrant. Cedat Tibi, **SERENISSIME PRINCEPS**, Ptolemæus Philadelphus; Tua enim Aula, liberalissima Doctorum receptrix, ostentat Viros in omni eruditione liberalissime & ad miraculum versatos.

D

Cedat

Cedat Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, Trajanus; Tua enim Aula semper fuit perfugium miserorum, ut, cum repulsas etiam & severitatem OPTIMUS PRINCEPS soleas multis mitigare condimentis lenissimæ humanitatis, a populis Tuis, tanquam deliciæ humani generis, in oculis feraris, colaris, ameris: Cedat Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, Antoninus; Tua enim Aula pietate vera & genuina ipsis etiam subjectis tuis præluet. non voluntaria illa infania, ebrietas & temulentia, non superbia & crudelitas, non blandum illud adulationis venenum, non invidendi & per calumnias detrectandi & deferendi libido, non molles voluptates, non in aliter sentientes & a sacris nostris Symbolis atque ceremoniis discrepantes iniqua severitas, non Syllanæ tabellæ, Lysimachi tristis vultus, irata Crateri verba, superbæ Caspandri minæ ibi locum reperiunt; sed sobrietas, sed Justitia & Clementia, sed veritas, sed dignus tanta fortuna splendor, tanto Principe digna magnificentia, sed summa erga quoscunque benevolentia, tanquam templum sibi Aulam tuam, OPTIME PRINCIPUM, delegerunt: unde tot illustres Viri apud TE
malue-

maluerunt libertatem & obsequia sua de-
dicare, quam apud alios Reges, dissimu-
lato de religionibus sensu, rebus frui opi-
mis. Nusquam esse gratiorem libertatem,
quam sub Rege pio, vetus & verum est
dictum. Est vero libertas, ut corporis
anima, ita illa vitæ forma, sine qua
cadaver est, qui vivit, sibi superstes, &
cum alterius sit, non suus, vix a brutis
pecudibusque distat, quorum rationis
expertium vitæ spatium alieno servitio, &
naturæ necessitatibus definitur. Sed quor-
sum ravior? Quanta denique est, OPTI-
ME PRINCIPUM, Aulicæ Tuæ disci-
plinæ castitas, quam magna & ad tan-
ti fastigii modum exacta frugalitas? Nul-
la Tibi Lucretia rabiem imputat, nulla
Danae aurum, nulla Thais regias epulas
profanat. Non Tibi Pavus e Samo, ex
Ionia attagen, ex Melita grues, hædus
ex Ambracia, pelamys ex Chalcedonia,
ex Rhodo helops, ex Cilicia Scari, ex
Massilia nulli arcessuntur: non conchy-
lia Lucrina, murænarum lactes, phœni-
copterorum linguæ nullo æstimato precio
mensæ tuæ sanctitatem incestant, a qua
exulat immanis ille gulæ luxus, epula-
rumque foeda & inexplebilis libido. Ve-
rum ista, quæ hætenus commemoravi,

licet sint splendida, longe tamen sunt
 majora, quæ verus PATER PATRIÆ
 Tuis auspiciis, Tuo ductu Ipsemet præ-
 clarissime gessisti. Ut nihil dicam de sa-
 luberrimis legibus, quas vel restituisti,
 vel condidisti, quibus sartam tectam ci-
 vium vitam, aras, focos conservas: Illa,
 SERENISSIME OCTOVIR,
 illa vero mallet, si commode possem,
 commemorare, quæ protenus cum novo
 principatu & imperio Tuo felicitati pu-
 blicæ provenerunt. Fremebant armis o-
 mnia; Gallorum Rex cum sævitiam do-
 mi fatigasset, ad Germanos vertitur, &
 Palatinam regionem, Bacchi Cererisque
 certamen, adortus urbes pagosque cum
 omni frumento, nobilissimo vino, inco-
 lis excindit, exurit, delet, omnia in ci-
 neres miserabilesque favillas redigit, con-
 tra datam, pactam juratamque fidem,
 contra inducias, contra jura gentium,
 contra jura omnis humanitatis, ut fileam
 jura divina, quæ apud Gentem, cui fere
 pro Numine Rex est, parum habent pon-
 deris. Scilicet Catilinæ quidam assenta-
 tores, & viperæ incantatrices in transver-
 sum egerunt, & pestilenti quasi aura ad-
 flarunt Regem, cætera magnum, at ni-
 mis pronum ad immoderatam & effrænem
 omnia

omnia conterendi & perdendi lubidinem. Scilicet impotens nullisque finibus circumscripta tyrannis, maximum humani generis malum, & universalis Europæ Monarchia, delicata illa magnorum Regum hæresis, Ludovicum quoque dulci fortuna ebrium harpyiarum quarundam suasu ceperat, qui orbis universi ad fastidium felix candidatus, apertissime & sine fuce præ se tulit immoderatam & imensam hanc cupidinem, cum Solis adscito emblemate se *nec pluribus* orbibus *imparem* jactaret, cœlum, terram, pontificatus, regna, improba spe jam invaderet & devoraret, cum vivus volensque sibi MAGNI nomen adscribi pateretur, & quæ ambitiosæ Majestati alia nomina titulosque Deo pares prava adulatio congeffit. at quanto fuisset gloriosius improbas cupiditates castigare, ipsiusque victoriæ fieri victorem, & fortunam, cujus constantissima est inconstantia, reverenter habere; quam aliena felicitate uri, aut omnia rapiendi sacra libidine flagrare? quasi vero Reges essent vitiorum servi, tanquam si magni & generosi animi esset inter miserorum tristes lacrymas, in cæforum sanguine, inter gentium direptiones & vastationes quam occupatissimum

tandem in Annalibus sæculi sui maximum morbum traduci! Nimirum cantant corvi aulici Regumque subseffores, Universalem esse Monarchiam, quam omnibus votis, omni nisu, animo denique & corpore peterent Reges, & hujus gratia esse divina & humana violanda, æque licere sub specioso pacis tempore ad resistendum impotentibus, veteratoria calliditate & malitiosa pactorum interpretatione, vi sua subripere, quam justo bello acquirere; fœdera, inducias, jusjurandum regnandi gratia flocci esse facienda, iisque ludendum, ut astragalis pueri solent: jura, sacra, leges violari posse, modo hac ratione ad unius nutum & arbitrium cuncta possint perverti; si res ferat, falsa ludere virtutum imagine, publicæ scenæ & populo famulari, exercere histrioniam, sub religionis causatione vulgus decipere; alibi verba vendere, hiantes circumducere, credulitati illudere, per legatos virtuti tempus eximere & callide omnia speculari, auro quosvis corrumpere, incommodos clam, palam, vi, veneno, per infidias aut sycophantias eradicare, ubi ficta humanitate nihil proficias, verborum minis ac ampullis Orbem diffillare, & quæ sunt ejus generis plura dogmata, quæ

Aularum

Aularum diræ ac Furia orbis malo peperunt. Hinc violata jura gentium, ever-
 sa humani generis, etiam barbarorum ma-
 xime barbaris sanctissima juris communis
 commercia, legati foede habiti, ejecti suo
 cives & coloni, interceptæ & resignatæ
 per dolum literæ, adsciti cum aliorum
 injuria novi tituli, hinc conculcata bona
 & publica Fides, sanctissimum humani
 generis bonum, quam Capitolio Jovi O.
 M. vicinam non immerito olim Romani
 dedicarant; hinc per vana fucataque com-
 menta, specie magnifica, re ipsa inania,
 per speciosorum nominum præstigias &
 obtentus summi Principes spoliati, alii
 etiam ejecti atque everfi, ne dicam pa-
 triam tot miseris ereptam, ubique exu-
 les, extorres, profugos; & in villis, co-
 lonis, urbibus exurendis omne scelus, o-
 mnem immanitatem ludum jocumque ha-
 bitam, tanquam si terra ipsa Cyclo-
 pum esset officina: hinc Furia illæ immani
 truculentia Dei ipsius jura involarunt, &
 ipsi animo compedes injicere Giganteo
 ausu volunt: hinc Nannetense edictum,
 quod tot sacramentis erat sanctissimum,
 fuit abolitum; hinc in nostrorum sacro-
 rum Professores, ut sententiam de Deo
 ejusque cultu, quam tenebant rectissi-
 mam,

mam, ejurarent, ea crudelitate sævitum,
 ut quicquid Busirides, Phalarides, Ne-
 rones, Caligulæ & similia humani gene-
 ris dehonestamenta ad hominum tormen-
 ta excogitarunt, præ illa crudelitate Gal-
 licana, seu jussu seu indultu Christianissi-
 mi Regis fatigata, ludus videatur, cum
 cruces, laquei, triremes jocus essent,
 cum Orci satellites in cruore miserorum
 viverent, habitarent, morientibus & lu-
 ce functis ultra spiritum infesti in ipsa
 sævirent cadavera. Tuos, Juliane, Ma-
 nes appello, nescivisti, qua ratione Paga-
 nismus esset restituendus, & Deorum cul-
 tus subjectis tuis persuadendus! Quanto
 sanctius priscae Ecclesiae gravissimus Do-
 ctor profitetur, Religionis non esse, co-
 gere religionem, quæ sponte suscipi de-
 beat, non vi, cum & hostiæ ab anima
 lubenti exoptulentur. Nemo cogi po-
 test, ne erret, sed persuaderi: illud di-
 vino & summo Dei tribunali recte reser-
 vatur, nec tormenta ignorantiae præscri-
 bit summus Arbiter, sed veritatis normam.
 Verum in viam redeamus. Ex eodem
 impotentis dominandi cupiditatis fonte
 fluxerunt cum inimicis Christiani nomi-
 nis instituta, sed pudenda foedera, &
 pacis leges, sed erubescendæ: hinc Ar-
 gentoratum

gentoratum Romano Imperio, Lucemburgensis Ducatus amplissimus, ut tot alia taceam, Hispano Regi, & Sueciæ Ducatus Bipontinus, Electori suo Palatinatus, Arausiaco ante Heroi Arausio & tot Comitatus, Lotharingorum Duci Lotharingia Barique Ducatus, alia plurima aliis, aut vi aut per callidam justitiæ speciem, subtracta: hinc exædificata contra jus & fas in Imperii solo ad Mosellam, Saram Rhenumque superiorem munimenta: hinc non ita pridem nulla præbita offensæ occasione, sine ullo feziali jure, captæ contra pacta pacis induciarumque fœdera Philippiburgum, Heidelbergam, Mannheimum, Francothalia, Spira, unde direpta S. R. I. monumenta, Vormatia Vangionum, aliæque plurimæ urbes, & deinde inaudita plane barbarie, violata etiam sepulcrorum religione & turbata mortuorum quiete, si Philippiburgum excipias, omnes exustæ. Nunquam Germania, Annalibus & factis tuis excidant illi dies ferales, nunquam oblitterentur hæc Gallicæ fidei monumenta, quæ dum supererunt, Vindicem e cœlo sollicitabunt & flectent aliquando: Fortuna jam tandem ipsa tot cadaverum, tot corporum, quæ semiusta, semiviva, lacera oberrant,

D 5

misera-

miserabili conspectu, tanto sanguine indignum in morem fuso, tot Virginum, tot Matronarum stupris delassata, dedignabitur furiales partes & castra permittabit. Tot lacrumæ, querelæ, gemitus, oculi, mens miserorum, quorum omnes fortunæ truculenta hostium petulantia in miserabiles favillas sunt redactæ; hæ, inquam, lacrimæ & fessa suspiria, cum terris amplius capi nequeant, coelo receptæ viam victoriis parabunt, & suæ calamitatis sortem ipsa miseratione commendabunt. Post hæc itaque immania præludia, tandem rupta illa induciarum fœdera, & ex integro barbarum cruentumque bellum, in quo ea miles Gallicanus edidit suæ impietatis exempla, ut si convenirent ex Inferis Lycaones, Læstrigones, Cyclopes & similia terrarum carcinomata, si ipsæ denique Furia Orco aperto erupissent, nihil crudelius, nihil dirius, nihil atrocius excogitare ac designare potuissent! Quasi vero tum demum rebus secundis uti daretur, si omnia impie agantur. Barbari sane olim summa æquitate in bello jura gentium observarunt. Tradunt enim Historici, Assyrium cum Cyro transegisse, ut terram coequentibus pax esset, armatis bellum: testantur

stantur idonei Auctores Indis agricolas sanctos mansisse. Hi vero præclari milites, Indis & Assyriis erubescendi, agricolas etiam ultro coegerunt, ut spem anni inducto aratro delerent. Antiqui Macedoniae Reges assiduis bellis adsueti, rarissime tamen urbes pertinaces, nunquam vero exscindebant aut perdebant in fidem receptas. Sed o tempora, o mores! ita nimirum Lilia, quæ neque ferunt, neque nent, sibi victum parant & amictum! Quis vero omnes injuriarum ambages persequatur? Muto sententiam. Utinam Annalibus eximi possit tam diri belli memoria, ne posteris olim nostro sæculo vixisse pestes humani generis, in opprobrium Christiani nominis, exsecrentur! Cum ergo dirum hoc malum late serperet, & vicinum nimis nobis esset incendium, cum præcipiti cursu ad ruinam properarem, cum rerum successu efferati hostes impune omnium insultare capitibus se posse credebant; cum longe lateque viscera nostra diræ volucres, quæ non nisi sanguine & per mortes aliorum vivunt, depascerentur; Quanta sollicitudine mox, PATER PATRIÆ, tuis populis veteranas misisti legiones, qui fines tuerentur: quin etiam non sivistis nos superba
 pati

pati fastidia, sed Ipse pro tuo erga Clivenses Marcanosque amore, ad exemplum veterum Imperatorum Augusti & Hadriani, longinqua Tui imperii paullo post adiisti, ut Gallorum insultibus & Scythicis minis occurreres. Hoc demum est vere pastorem esse populi, ut princeps Græcorum Vates Terrarum Dominos subinde appellat, & gregem suum indefatigabili vigilantia a luporum rabie defendere: & ut paucis tuas laudes complecti videar, **TALEM TE PRINCIPEM PRAESTAS, QUALEM IPSE PRIVATUS OPTARE POTUISSES.** Cum pæne amissemus divinissima humani generis bona, religionem ac libertatem, ibi Tu stator salutis nostræ stitisti impetum hostilem. Pugnabant pro nobis auspicia Tua, cum bruma rigente ad Novesium Galli cæderentur, ipsumque primo impetu & ex itinere caperetur Novesium, non sine luculenta præda. Imminebat tamen nobis colluvies hostilis prædatorum, excursionibus, direptionibus & incendiorum diris vexabant subinde miseros agricolas. Vicina item nobis Cæsaris insula in hostium potestate ferro & igne minabatur; jugulis nostris pæne inhærebant hostes, ut timidum ducere-

mus

ORAT. PANEG. INAUG. GE

mus spiritum, nec ante avelli posse videbantur, quam miseram efflassetur animam. Hæc cuncta tam gravia, tam acerba, tam fœdam tempestatem, Tuus, **SERENISSIME PRINCEPS**, adventus protinus, velut salutare & beneficum quoddam nobis adfulgens sidus, repressit, dispulit, abegit. Ita intentus rebus, nunquam otiosus, ad instar æternorum, qui supra nos sunt, ignium, benignis erga hæc inferiora radiis omnia læto aspectu serenavisti. Magni hoc, vel summi potius hominis est, tot undique circumfremantibus armorum tempestatibus non moveri animo, non concuti, sed rectum in omnia constantemque dirigere vultum. Summi hoc, ut dico, sed hominis: At hæc cum ineunte tuo principatu paullo post, Te **SERENISSIMO DUCE**, prolata rerum omnium tranquillitas, & quasi in mediis undis procurata halcyonia, non hominis solum summi habet laudem; sed de tua laude & virtutibus plenum divini favoris præse fert iudicium, quod Deus O. M. signis hisce maximis iisdemque lætissimis indicavit. Tam felices enim successus, tantam prosperitatem tuis auspiciis circumfudit, ut omine certissimo Te admirabili
Dei

Dei providentia instaurandæ publicæ
 quieti, & crudelissimo hosti Germaniæ
 finibus ejiciendo nobis commendatum es-
 se omnes intelligant. Toties enim vitam
 pro populorum Tuorum salute exposui-
 sti, toties per tela ignesque hostium non
 minus cauti atque strenui Imperatoris mu-
 nia, quam omnes animosi & egregii mi-
 litis numeros mirifice implevisti, ut fa-
 cile pateat, Te a benigniore cœli cura
 Germaniæ, per Gallicam tyrannidem aut
 vexatæ aut oppressæ, vindicem servatum,
 & quo Tibi plura minabantur pericula,
 tanto propior Dei immortalis cura inter
 dubia, per felices successus, parandæ im-
 mortalitatis occasionem suscitabat. Sic per
 machinas ignivomas & obsidionales bre-
 vissimi temporis spatio Cæsaris Insulam,
 vicinam nobis urbem, quæ opibus mu-
 nita & multo milite infessa longe lateque
 omnia populari consueverat, alter Her-
 cules hydram illam omnia foedantem sum-
 ma virtute exscidisti: Rhenobercam, ur-
 bem ingenio operibusque munitissimam
 sine cæde & sanguine in deditiōem tua
 opera SERENISSIMUS ELECTOR
 COLONIENSIS accepit. Objectus de-
 nique fuisti Nemæo Leoni omnia item
 longe lateque vastanti: Bonnam inquam,
 urbem

urbem validissimam, quam robur & flos Gallicani exercitus, illique præfectus acerrimus Imperator, militandi vetus, novum Tuæ laudis ac virtutis argumentum, Victorem enim magis, quam cujusquam eloquentia, commendat & illustrat hostis virtus, insederant; hanc urbem secundum poliorceticæ artis decreta obsidione cinctam virtuti Tuæ parere & victas porrigere manus coegisti, eaque omnia, quod longe speciosissimum Romanus Scriptor dixisset, egisti pro socio ELECTORE. raro prisca ea æquitate bella suscepisse, aut post successum moderati esse leguntur. ambitio enim sæpissime nomine Virtutis ac affinitate obrepebat. Romani fere ea specie bella gerebant, ut a defensione sociorum ad imperium terrarum & oppressionem cæterorum clam progredirentur. nunquam videlicet ad aliena, quæ vicinus, retinenda prætextus, artes, fraudes, strophæ defunt. Tu vero SERENISSIME PRINCEPS ita hoc bellum gessisti, ut causæ belli æquitas, æquitati Deus adesset. Magnum utique est Sceptra gestare; moderari ac tueri majus; cum discrimine vero salutis, vitæ, regionum, occupata extorquere hosti, erepta redonare Dominis; afflictæ item pietatis

pietatis miseratione opes animosque suo-
 rum ac virtutem experiri, morem ac for-
 tunam Principum tam excedit, quam
 quod maxime. Nova novæ laudi nomi-
 na quærantur, licet; quam nulla eloquen-
 tia pro meritis extollet. Hoc Divinitati
 proximum Fortuna Principum habet, rei
 fractæ atque collapsæ misereri. Sic vero
 regiones nostras & vicinas hostium insul-
 ribus liberavisti, incendiolorum & rapina-
 rum metu solvisti, ut tantam felicitatem
 antea spe concipere, audacis animi fuisset;
 ad effectum vero perducta, virtutis
 & fortunæ videatur plus quam humanæ.
 Labet hic, Auditores Spectatissimi, ar-
 canum Fatorum admirari ordinem. La-
 bebatur hujus sæculi annus tertius supra
 septuagesimum, cum ille Assertor Reli-
 gionis, & Stator libertatis Belgicæ, qui
 cum maxime magnæ Britannicæ, Franciæ
 & Hiberniæ **AUGUSTISSIMUS REX**
 Europæ per tyrannos labefactatæ medi-
 cas manus admovet, divina & felici dexte-
 ritate, ad exemplum magni Scipionis, signa
 infesta hostili solo intulit, & ineunte
 bruma intercepta Bonna Gallos illis Pro-
 vinciiis, quas a Belgica Fœderata avulse-
 rant, ejecit, & ad res fessas restituendas
 quasi facem prætulit. Est autem Bonna
 illa

illa ipsa urbs, in qua nuperi belli nefaria
 & luctuosa consilia inita fuisse dicuntur;
 hodierni certe belli faces & tubæ in ea-
 dem fuerunt: & ut ante Novesium fuerat
 Galli horreum omni apparatu instructissi-
 mum, præsidioque militari circumvalla-
 tum, ita & nunc Cæsaris Insula, omni
 instrumento belli & annonæ com meatibus
 refertissima, nostris faucibus incubabat.
 Quemadmodum vero **SERENISSIMUS**
HEROS AURIACUS expugnata Bon-
 na priore bello, Primus ad bene speran-
 dum sustulit signum; ita interjecto sede-
 cim annorum intervallo **SERENISSI-**
MUS HEROIS AURIACI FRATER
CONSOBRINUS, circa idem brumæ
 tempus eadem radice excisa, malignos fru-
 ctus extinxit, & expugnato bellici ap-
 paratus promptuario, totius belli quasi
 compendium fecit, & multos hostilis tra-
 ctus populos reddidit vectigales; atque
 ita Primus ad commune incendium ex-
 stinguendum præclara fecit auspicia, &
 item quasi signum quoddam communis
 omnium salutis ac libertatis sustulit, at-
 que ita Ambo ceu lucida & benigna sidera,
 Pollux & Castor, tam fœda atque luctuosa
 tempestate affulserunt. His profecto vir-
 tutibus ac meritis immortalibus ita in
E omnium

omnium corda irrepfisti, **POTENTIS-**
SIME OCTOVIR, adeo omnium men-
tes Tibi devinxisti, ut quæcunque Ipse
cogitas, dicis, decernis, omnes perinde
rata ac firma habeant, ut ab Optimo &
Sapientissimo Principe profecta. Sunt e-
nim omnia Tua dicta ac facta plena con-
silia, plena prudentiæ ac sapientiæ, o-
mnesque Tuæ cogitationes, omnia vota
non alio tendunt, quam ut Justitiam at-
que æquitatem colas, & populorum tuo-
rum cum commodo, tum gloriæ studeas.
Quare tantus est omnium consensus in
Te amando, colendo, observando, ut
nihil antiquius ducant, quam **OPTIMI**
PRINCIPIS voluntati se subicere, Tua
jussa capeffere, vitam denique ipsam Tuæ
saluti devotam impendere. Quid enim?
Tibi, **SERENISSIME PRINCEPS**, Re-
ligio aras, Astræa leges, Pax & Tran-
quillitas templum debet. Quod vindi-
cata corporum, animarum, bonorum li-
bertate, nec fortunæ nostræ pateant præ-
dæ, nec vita improborum libidini, nec
patria hostibus, Tuum est. Tibi, **MA-**
GNE ELECTOR, per supremi numi-
nis gratiam, quæ Tibi in tanta rerum
confusione prudentiam suppeditavit, &
ad magna gerenda, Te quasi solertis na-
turæ

turæ manu finxit ac formavit, BELGICA FOEDERATA quietis suæ gratias debet, ut, non sine omine, immensæ lætitiæ signis apud cultissimam gentem fueris exceptus, cum ad Te præsentem summus omnium ætatum atque ordinum concursus fieret, & tanta esset effusa omnis generis multitudo, ut ipsæ civitates urbiumque mœnia, si natura pateretur, sedibus suis relictis ad Te colendum obviam prodiisse viderentur, & , ubicunque incederes, faustis acclamationibus omnia personarent, omnes redundantem & foras erumpere gestientem lætitiæ ore, oculis, plausu, festo apparatu indicarent; cœlum denique ipsum bruma sæviente mitissimum honoribus Tibi habitis favere videretur. Tibi claustra illa Belgicæ, CLIVIA nostra libertatis suæ vindicias debet: Tua pæne solius ope & ductu, auspice Deo O. M. servati Colonienses, eorumque ager, & SERENISSIMI OCTOVIRI COLONIENSIS regiones ultra Rhenum: item Clivienses, Julienses, Montenses, Marcani, servatæ templorum aræ, civium foci. Quod ex Orci faucibus erepti liberum aerem respiramus, Tuum est; Quod cives exhausti ac tantum non conculcati benignis solatiis

latiis refocillantur, Tuum est; Quod sævos hostium vultus non intuemur, & Scythica Gallorum iussa non excipimus, Tuum est; Quod non in templa, in ædes, in focum, in arcam, in vitam denique nostram grassatur barbaria ipsa miles magis barbarus, Tuum est; Quod non in agrum, in fata, in nemora, in pecudes nostras sævit, Tuum est; Quod vias nostras non infestat prædo, quod portis nos captivos non teneat ferox stationarius, Tuum est; Quod plateas nostras non perambulant libidinis satellites, Tuum est; Quod matronalis castitas & virginum pudor libidinosæ genti ereptus, Tuum est; Quod mercatores, artifices, opifices, agricolæ, manuarii artes suas cum quæstu liberrime exercent, Tuum est; Quod Musæ passim suis delubris pulsæ revertuntur, Tuum est; Quod in sanctissimo hoc templo Bonæ Menti facimus, Tuum est, ut etiam ipsi parietes suis locis convelli, atque ad gratias Tibi agendas exsultare videantur. Utinam cum Pericle fulminare, cum Demosthene tonare possim, uti pro rei dignitate divinam istam animi virtutem, illa æterna de Tuis vicinisque populis, adeoque omni Imp. Romano, merita exornare possem! Sed potius erit sacro
horrore

horrore divina miracula stupere, quam
 jejuna dictione eadem elevare. Maeste
 esto dia virtute, **OPTIME PRIN-**
CIPUM, orbis bono difficillimis hisce
 & profligatis temporibus edite! & quia
 communi hominum utilitati semper con-
 sulis, Europæ atque in ea dulcissimæ Pa-
 triæ nostræ, utrique **GERMANIAE**
 pacandæ diutissime flore! Ad hæc ego
 tot & tanta beneficia & merita, quæ no-
 bis contulisti, hæreo trepidus ac stupeo,
 & animum, cogitationes, ingenium, quod
 mihi plane exiguum est, & facundiam,
 quæ nulla est, submitto. Alii fortassis,
 admiratione Romanæ gentis delectati, Te
 per expugnatas, & a Te restitutas in agro
 Coloniensi urbes, maximo applausu laurea-
 tum circumveherent; Victoriæ adderent,
 quæ corona civica & obsidionali Victo-
 rem obumbraret; triumphalem habitum,
 togam pictam tunicamque palmatam au-
 ro purpuraque splendentes induerent;
 stellatum Jovis instar vultum effingerent;
 dextræ sceptrum eburneum cum aquila
 in apice, quæ signa Tuæ Majestati non
 sine omine magnarum rerum sunt genti-
 litia, infererent; Teque, **SERENIS-**
SIME PRINCEPS, triumphali cur-
 ru quadrigis albis invehitum, & niveos ad
 E 3 fræna

fræna primi ordinis Viros, & hostes captivos, cum expugnatis oppidis & gazis, e curuli sella contemplantem facerent; adjungerent legatos tribunosque in equis, milites agminatim, cum triumphali clamore coronatisque armis subsequentes; circumfunderent cives servatos, quorum non ætas quenquam, non sexus, non valetudo retardaret, faustis acclamationibus Te salutantes; montes, urbes, fluviosque a Te subactos, simulacris expressos, traducerent; & per gradus ad Capitolium prisco ritu deducerent, ut in Jovis gremio felicem ramum, felicissimus & fortissimus Imperator deponeres, Jovique Optimo Maximo majoribus victimis sacra faceres: Statuas, tropæa, arcus triumphales nomini Victoriisque tuis erigerent: AUG. P. F. TRIUMPHATOREM. FUNDATOREM. PUBLICAE. QUIETIS. ASSERTOREM. VEXATAE. A. GALLORUM. PERFIDIA. GERMANIAE. INFERIORIS. celebrarent; publicis monumentis inscriberent:

QUOD. INSTINCTU. DIVINI. NUMINIS. MENTIS. FUTURI. PROVIDAE. MAGNITUDE. PRIMUS. AD. COMMUNE. INCEN-

INCENDIUM. EXSTINGUEN-
DUM. MIRIFICA. SOLLICI-
TUDINE. ADVOLARIS. ET.
REBUS. PRAECLARISSE.
GESTIS. GERMANIAE. IN-
FERIORIS. TRANQUILLI-
TATEM. RESTITUERIS.

Alii autem fortassis, eruditæ & ingenio-
sæ adulatoricis Græciæ moribus imbuti,
Soteria Tibi decrevissent & agonem Li-
bertati sacrum, statuas aureas, coronas,
tribus a Te denominandas, ludos, pom-
pam, sacrificium quotannis exhibendum,
aram quoque Tibi, ut Servatori, dicaf-
sent. Nostri denique sæculi mores, post
solennes recte & rite immortalis Deo sup-
plicationes decretas, lætos exsultantium
clamores, studia, ardores junxissent fe-
stivis templorum sonis, accinente tuba-
rum clangore tympanorumque pulsu,
aplustrium insignia e turrium fastigiis e-
rexissent, ignivomis machinis tonuissent,
crebros tandem noctu per vias ignes ac-
cendissent. Nos vero, Inclute Victor,
PRINCEPS MAXIME, pallidæ
ambitionis pompam tam scimus a Tuis
moribus abesse, quam meritissimæ Tuæ
laudes distant ab adulatoria vanitate. Soli
D. O. M. primum acceptam referimus so-
lidam

lidam hujus beneficii gratiam, cujus gau-
 dium animorum nostrorum sinus ac me-
 dallas tam alte pertentat, ut quasi lym-
 phati vix mente consistamus; Deo in-
 quam Soli, quas possumus, conceptissi-
 mas pro eo gratias agimus, cujus mune-
 re Tu PRINCIPUM MAXIMUS
 patriam in tantum discrimen adductam
 heroo ausu fortissime, prudentissime,
 felicissime asseruisti: deinde alia vove-
 mus, alia solliciti optamus, alia preca-
 mur, alia Deum supplices veneramur: ut
 beneficia sua tueatur, & quicquid in po-
 sterum, pro miseris impotente tyranni-
 de oppressis, susceperis, felix faustum-
 que esse velit; ut Majorum res gestas non
 æques, sed superes, eorumque annos
 vincas; ut quamdiu inter mortales eris,
 nihil ex AUGUSTA DOMO TUA
 mortale cernas; ut idem Deus, qui Tibi
 senilem prudentiam in primis annis suffe-
 cit, ita ad extremos usque juvenile ro-
 bur indulgeat; ut nulli invidiæ, nullis si-
 multatibus, quæ summis semper immi-
 nent, occurras; ut Divinum Numen oc-
 cultas insidiantium fraudes, quandoqui-
 dem ea tempestate vivimus, qua callidi-
 tas Prudentia, ambitio Generositas, dira
 dominandi cupido Magnanimitas habe-
 tur,

tur, qua Furiā infernales in Virtutem ab
 Inferis emerfisse videntur, ut eas, in-
 quam, technas malignas & machinationes
 Deus infesto fulmine in perditorum capi-
 ta eorumque pofteritatem vertat; ut le-
 giones cœlestes Te miserorum Vindicem,
 Tutorem ac Patronum circumvallent, &
 vitam Tuam, a qua nofter & tot mil-
 lium pendet spiritus, tueantur; ut Tuo-
 rum cauffa Tibi Uni parcas, neve Augu-
 ſtum caput Tuum periculis nimium ob-
 jicias, & Virtutis quadam abundantia &
 fervore crudelis videaris erga eos, quos
 ſervasti, cum Illum eriperes, a quo tur-
 batae Pacis otium Patriæ eſt reſtituendum;
 (ignosce noſtro metui, qui magis Tuo-
 rum es, quam Tuus, in cujus capite ſa-
 lus noſtra periclitatur, cui patriam, pa-
 rentes, libertatem, opes, & quæcunque
 in terris æſtimantur, debemus; ſi illud,
 inquam, quod noſtrum eſt, noſtrum in-
 teſſe exiſtimamus, ut conſervetur;) ut
 veræ Pietatis Vindex indefeſſus tam con-
 ſtans ſemper maneat, quam ſemper opti-
 mus fuiſti; ut afflictas paſſim & proſtra-
 tas, alibi etiam everſas hac bellorum in-
 juria diſciplinæ, immortalitatis Tuæ in-
 ſtrumenta, reſtituas, tuearis, conſerves;
 ut diutiſſime rebus florentibus Tuo inter-


sis & præsis populo; ut sera & pronèpo-
 tibus demum nostris nota sit illa dies,
 qua Tui cives PATREM PATRIAE,
 OPTIMUM PRINCIPEM desidera-
 bunt; ut Deus Tibi de nostris augeat annos;
 ut in tam PIO PRINCIPE Fortuna
 potentiam suam, non nisi ea, qua prodest,
 parte exserat & ostendat; ut Optimus Ma-
 ximus Deus Tibi indulgeat in Pietate con-
 stantiam, in Justitia vigorem, in Clemen-
 tia decorem, in Fortitudine nervum, in
 Consiliis felices eventus, in Aerario inex-
 haustam & honestam ubertatem, in Pro-
 pugnaculis securum robur, in Legationi-
 bus salutarem expeditionem, firmam in
 Fœderibus concordiam, lætam in Bellis
 victoriam; ut SANCTISSIMA &
 SERENISSIMA tori SOCIA Te-
 cum, eadem felicitate & mutua concordia,
 beatos annos exigat, ut tandem similli-
 mum Tui Successorem, quia Te melio-
 rem nec cogitatione fingere, nec votis
 optare possumus, relinquas; ut SERE-
 NISSIMUS ille ELECTORALIS
 DIGNITATIS HERES, qui in
 tenello ore mores & indolem regiam o-
 stendit, aliquando vota Tua superet,
 cumque indole Tua virtutem atque opes
 propaget; ut ad fatalem usque illam or-
 bis

bis catastrophen, Tui Nepotes & Prone-
 potes, Tua gens & Augustissima Familia
BRANDEBURGICA floreat, &
 ad Tuum exemplum populis volentibus
 imperent! Auguste, Pie, Fortis, Trium-
 phator, Deus Te conservet! Electorum
 Principumque Restitutor, Populorum
 Libertatisque labentis Vindex, Deus Te
 conservet! Germaniæ Inferioris a Gallis
 vexatæ Assertor, sceleratorum Ultor, Bo-
 norum Defensor, Deus Te conservet!
 Gallicæ Tyrannidis Depulsor, Deus Te
 conservet! Propugnator veræ Pietatis,
 Religionis afflictæ eximie & optime De-
 fensor, Deus Te conservet! Tutor Ju-
 stitiæ, Aequitatis & Legum, Deus Te
 conservet! Conservet Te Deus O. M.
BENIGNISSIME DOMINE,
 ut desideriis nostris atque votis cumula-
 tissime satisfacias, ut fuis victisque ho-
 stibus spolia opima reportes, Deoque Ul-
 tori triumphali victima facias; ut quic-
 quid concussit feralis horum temporum
 Enyo, in pristinum restituas & reponas,
 ac Europæ tranquillitatem propediem re-
 sarcias, ut Deo auspice & consultore ea,
 quæ tam bene cœpisti, præclare perfici-
 as; Conservet Te Deus, **PRINCEPS**
INCOMPARABILIS, certissimum
 beatioris

76 H. C. HENNINI OR. PAN. INAUG.

beatioris sæculi Augurium, certissimum
Pignus nostræ Salutis, nostræ Securita-
tis, nostræ Felicitatis!

D I X I.



APPLAU-

✽ (o) ✽

A P P L A U S U S

G R A T U L A T O R I U S

A R N O L D I B R A N D,
Jurium Antecessoris Ordinarii, &
cum maxime Decani,

A D

Nobilissimum Virum

HENR. CHR. HENNINIUM;

Cum Oratione Inaugurali Pane-
gyrica, SER. ac POT. ELECTORI
BRANDEBURGICO sacrata,
Spartæ suæ initia dedicasset.

P R I N C I P I S *acta* Tui Nostrique in-
signia *magnum est*

Dicere: P A C I F I C U M *dicere, ma-*
jus erat.

Hem tibi, quisquis ades, meritorum exa-
ctor *honorum,*

Qui DIXIT, dignus *dicier* ille fuit?
Ille fuit; nostros qui nobis reddit A M O -
R E S:

Ille fuit; nostrum qui stitit ipse P A -
T R E M.

Salve,

Salve, o Pacifica, salve, Exorator O-
LIVAE;

Ingredere o nostrum, Dulcis Amice,
Chorum.

Dicite Vos, quibus est dicendi cura, Quirites,
DICERE num magis est, DICIER
anne magis?

HIPPONAX.

Qualis pudicum primulo thorum mane
Linquens decens Pallantias, sere-
natam

Dulcis marita venustule rubens (credo
Dissuaviatum noctibus viro integris)
Os fert in æthram, & gaudiis novis implet
Aurora mundum: Talis, | inclute HEN-
NINI,

Tuus ille sermo, concio nuper tota
Quem publicitus audivit & deamavit
Stupuitque simul, ut candida Trabeatorum
Immixta vidit plausibus suis vota
Suffragiaque, jam in luminis citus dias
Prorumpit auras, exterosque civesque
OCTOVIRALIS recreat Academiae.
Talis potentem visitabit AUGUSTI
BRENNONIS aulam, talis ille Magnatum
Migrabit in palatia, talis Europam

Omnem

Omni occupabit nominis tui fama:
Felix libelle, ter beate, ter felix!
Felix libelle! quem sacraque palpare
Talem manu, legereque lumine hero
Thronum Paternum indepta (merita)

MAJESTAS

Velitque gestietque BRANDEBUR-
GENSIS.

Quid nunc moraris, quid moraris, HENNINI,
Reliquos labores publicam dare in lucem?
Tua illa delicata scripta, venturis
Devota sacris scripta, cara, mellilla,
Docta, erudita, & verbulo omnia ab-
solvam,

HENNINIANA scripta? Parce, Collega
Amice, parce, strangulare pro porro
Isthæc avara & invida tua cista,
Quæ cuncta tua meditamina sibi corradit
Soli, sibi includit, sibi sibi asservat.
Hæc Publico sunt scripta, non tuis capsis:
Aeternitatem merita scripta, non blattas.

Collegæ honoratissimo

L. M. Q.

applaudit

A. A. PAGENSTECHER.
Jurium D. Eorundemque & Phil.
Pract. P. P. Philosophicæ Facul-
tatis h. t. Decanus.

Omnia cecidit, non omnia sunt perita.
Felix libello, ter beate, ter felix!
Felix libello, quem sacrae palatium
Talem manu, legereque hunc hero
Thronum Patrum indeps (moria)

MAJESTAS

Velicque genitrici BRANDEBUR-
GENSIS.

Quid nunc moraris, quid moraris, Herminia?
Reliquos labores publicam dare in lucem?
Tua illa delicta scripta, venuris
Deora facta scripta, cara, mellilla,
Docta, erant, & verbulis omnia ab-
solvam,

Herminiana scripta? Pace, Collega
Amice, pace, singulari proprio
Istae avaria & invida tua cista,
Quae cuncta tua meditamina non corradit
Sibi, sibi includit, non tibi altera.
Hae Publico sunt scripta, non tuis capis.
Aeternitatem metis scripta, non plures.

Collega honoratissima

A. M. G.

apud


A. A. P. A. G. E. N. S. T. E. C. H. E. R.


Joann. D. Rönndorfer & Phil.

Pract. P. P. Philologicae Facult.

facti in c. Decanus.







ga 4082

ULB Halle

3


001 948 431




sb

WM
M







PANEGYRICUS
Serenissimo ac Potentissimo Prin-
cipi & Domino,
DOMINO
FRIDERICO TERTIO,
MARGGRAVIO BRANDEBURGICO,
S. R. I. ARCHICAMERARIO
ET ELECTORI,
ETCCC.
CONSECRATUS:
Quem
Coram omnium Ordinum celeberrima concione
in Electorali BRANDEBURGICA, quæ TEU-
TOBURGI CLIVIORUM floret, Academia
publice dicebat
HENR. CHRISTIANUS HENNINIUS;
Medicinæ Doctor,
Cum ibidem Historiarum, Eloquentiæ & Græ-
cæ Linguæ Ordinarius Professor
A. D. xi. Kal. April. anni Gregoriani secundum
vulgarem Epocham clc lcc xc.
solenni ritu
INAUGURARETUR.
•••••
•••••
DUISBURGI ad RHENUM,
Typis FRANCONIS SAS, Acad. Typogr.